

tristis est, mittens Gerobum Aurismero fratri seniori, ut maiorem civitatis acciperet partem; sed non potuit, eo quod maior pars erat, quam mellifluus Fulgensmero tenebat. Die set quadam dum exisset foras murum Fulgensmer cum Lampone et Arman et Flechiloith et Strunich, qui tam fortiter in modum teli ensem iactabant, ut, si veniret in qualicumque arbore, usque ad iltem introiret, vel cum sexcentis viris exercendi causa, quando iam voluit introirè, non dimisit illum Aurismer. Accepto autem itinere, ad Longobardos cum sexcentis viris fugiit. Eodem vero tempore super Longobardos Grimoald regnabat. Quos ut vidit, cum tripudio ingenti suscepit in tali ratione, ut una fierent gens, et ubicumque ad prelium irent, Longobardi uná irent, et unam legem haberent. Quin etiam per salutem iuraverunt Smeroingi, iuxta Longobardorum voluntatem. Et tunc misit eos ad Romoaldum filium suum, ut irent cum illo in Beneventum, et ibi starent; cum paululum ante ad regem Vulgarum terram dedisset, qui sponte ad Longobardos venerat. Prorsus miranda res, quapropter hystoriographi, qui Longobardorum hystoriam scripsere, istud omisere, cum verissimum sit, vel Paulus cur dimiserit. Tunc Romoald suscepit eos, et per decennium seducens, usque dum baptizarentur, sic postea defunctus est post peractum boni. Post mortem autem Romoald surrexit princeps, qui per vim in palatium ad serviendum eos mittebat. Illi quidem hoc non gestantes, consilium inierunt, qualiter illud minime peragendum dimitterent. Tunc in illos intravit Sathanas, et die quadam resurrectionis, cum starent pariter in aula Dei genitricis Mariae, repentes suos pugiones extraxerunt, super illos irruentes. Illi autem infelices stabant securiter, et occiderunt usque ad duo milia virorum; taliterque a servitute liberati sunt et civitatem accepere. Tunc serotinus Lampo ad Consem perrexit ad habitandum cum centum viris, ibique habitavere. Similiter Arman cum germanis suis Stamar et Euith vel Eismith ad Capuam cum centum viris perrexit. Haec est regio fertilis. Smeroingi nunc cultores sunt Sampniae, et vivunt iuxta morem Longobardorum, potius vero iuxta Romanorum. Legem autem Longobardorum tenent. Si quis autem hoc mendatium fore dixerit, veniat ad me, et ego per auctoritatem mendatium probabo. Valeat celsa potestas vestra, et recedat ab omni malo; senectus tua pullulet, iuventus a te procul sit.

---